



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

7. Ioannis Caluini, contra SS. PP. & cælibatûs, præstantiam arrogans
censura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

perpetuam, sed ijs diebus, quibus in templo, vel tabernaculo ministrabant, obligabantur.

Frustra ergo inuehitur in veteres PP. Calvinus, quod continentiam conjugalem permiserint, cælibatum perpetuum approbarent, & virginitatem ac viduitatem coniugio prætulerint. Maleuolè S. Chryostomum accusat *virginitatis nimium commendatæ, ac magnificatæ*. Arroganter scribit Hieronymus, quod coniugio virginitatem anteposuerit, *nimis luculentum maligni peruersiq; ingenij specimen edidisse*. Sed quid mirum, si SS. PP. inuadit, qui ne Apostolos quidem à censurâ sua eximit, quos, inter alia vitia, quæ illis obijcit, *impia ingratitude* arguit, quod Christo de matrimonij oneribus peroranti responderint: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere*. Contendit enim, Christi mentem esse penitus contrariam, dissuadere scilicet, non suadere cælibatum, quem virtutem putare, censet esse *stultam imaginationem*. Cùm tamen Christus discipulorum suorum responsum non solum non improbet, sed & disertis verbis laudet, quando subiungit: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*. Ac si dicat, non omnes capere, seu intelligere, vel gustare, cælibatum coniugij statu esse nobiliorem Deoque acceptiorem, ac proinde, abstinentiam à matrimonio, esse quoddam excellens Dei donum, communiq; hominum statu, iudicio, & desiderio superius. Quocirca, paulo post eandem laudem iterans & adaugens addit: *Et sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt, propter regnum calorum. Qui potest capere, capiat*. Quia, vt S. Paulus ait, *Beatior erit, si sic perman-*

VII.
Caluin, in 1.
Cor. 7. 5. seqq.
lib. 4. Instit.
c. 12. §. 28. &
cit. loc. Harm.

Matth. 19. 10.

1. Cor. 7. 40.

VIII.

His omnibus ostenditur, matrimonia tametsi à Deo introducta, sancta, & ad genus humanum longè lateq; propagandum necessaria, haud tamen ita singulis necessaria esse, vt in ea sese, vel inuiti conijcere teneantur: quæ cùm libera esse oporteat, & sæpe graues secum trahant difficultates, à quibus nonnulli vehementer abhorrent, possunt iniri, vel declinari. Miserrimi essent mortales, si omnes ad nuptias cogentur. Et fuit, qui cùm duceretur, suspendi mallet, quàm mulieri in maritum tradi, quæ eum à magistratu petebat. Vidit enim illam

N n

acuto